



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 7. Merces Hispaniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

quam tamen aliquæ voces Castellanæ irrepserunt. Sola Biscaia antiquam Hispamicam retinet, licet aliqui reclament; quoniam voces *briga*, *cetra*, *falarica*, *lancea*, antiquæ Hispanicæ h̄ic non audiuntur; sed quis nescit voces quotidie intercidere, & renasci.

### §. 7. *Merce Hispaniae.*

EMITTIT Oleum purissimum ex agro Hispalensi: Vinum generosissimum, ex Malacensi. Aurum & argentum aliàs domi natum, nunc ex utrâque Indiâ importatum habet. H̄ic quoque Miny plurimum effoditur, Cerussa optima conficitur. *Lana* tenuissima, *Panni* magni pretij, *Pelles* probè maceratae. Hinc quoque lapides speculares exportantur, & marmora varij coloris. Vno verbo terra suis contenta bonis esset, nisi nauigationes, longinqua bella, & per totum orbem sparsum Imperium distraheret incolas.

### §. 8. *Politia Hispanorum.*

SVB Imperatoribus quamquam vexarentur à Mauris, & Numidis, tamen vt cumque florebat Hispania. Donec imperante Honorio euocati per Stiliconem Suevi, Alani, Vandali in eam fese infuderunt: in quam pariter ingressi sunt Visigothi, qui tandem h̄ic rerum potiri sunt, cæteris exterminatis. Gothorum Rex ultimus Rodericus homo turpissimus à Saracenis per Iulianum euocatis regno ac vitâ priuatus est. Christiani in Asturias compacti Principem Pelagium elegerunt qui Oueranum Regnum reparauit, quod Legionensis fermentum fuit. Ex eo Castellæ, Portugalliae, Galiciæ, regna prognata sunt, adiuncta denique Murcianum, & Granatense. Eodem ferè tempore Garcias Ximenius versus Pyrenæum Regnis Nauarræ, atque Sobariæ dedit initium, cui accreuere Aragonium, Catalanicum, Maioricense & Valentiniun, quæ omnia demum vnta sunt in Ferdinando Aragoniæ, & Isabella Castellæ Regibus, quibus apicem Philippus II. imposuit, vt mox in singulis regnis ostendemus.

Regnum hoc à Rege quidem, sed per consilia *rumores* administratur. Hæc 12. numerantur, seclusâ Inquisitione. Primum politicum proreges elit, secundum Imperatores. Habent & sua deinceps consilia Aragonia, Castella, Italia, India, Lusitania.